



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Lilivm Inter Spinis**

**Sterre, Jean Chrysostome van der**

**Antverpiæ, 1627**

Cap. XXXV. Sub prolixo ipsius Sacrificio cerei non tantum comburebantur,  
quantum sub alterius breuiori.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43032**

ORDINIS PRAEMONST. III  
tanto viro gratia perduravit, gustante  
& vidente suauitatis tuæ abundan- <sup>Pfal. 144.</sup>  
tiam, Domine I E S V : cuius nos tan-  
tūmemoriam, non gustum & satu-  
ritatem, egeni nimis & pauperes &  
mendici, possumus eructare.

### C A P V T X X X V .

*Sub prolixo ipsius Sacrificio cerei non tan-  
tum comburebantur, quantum sub al-  
terius breuiori.*

**E**RUCTEMVS tamen, quæ possu-  
mus & quæ scimus de seruo Dei,  
ad laudem Dei; & seruum in Domi-  
no, & in seruo Dominum collaude-  
mus. Erat aliquando, Domino dispo-  
nente, in Monasterio Sanctimonialium  
per annos aliquot, & diuina cele-  
brauit ibidem: ortumque fuit contra  
illum, de protractione Missarum,  
murmur non modicum; alijs con-  
querentibus, tempus laboris inutiliter  
se expendere; alijs verò dicentibus, de  
lumi-

luminaribus diu ardentibus fieri detrimentum. Cumque hæ quæstiones diutiùs \* agerentur, doluit vicem beati viri seruus quidam ( sed post conuersus ) qui cum satis familiariter diligebat : & veritatem detrimenti luminarium cupiens experiri , die quadam ( dum esset iturus vi à milliarij vnus, duas aut tres leucas Gallicas continentem ) abscondit vnã duarum candelarum, quæ ad Altare ardere solebant, vbi Sacerdos Domini celebrauit ; & longitudinem habebant æqualem : inceptisque Missarum sollempnijs, incepit idem seruus agere iter suum : quo, cum negotijs, consummato, reuersus inuenit Contemplatorem nostrum, sacris adhuc Altaribus assistentem. Perfecto Officio, candelam absconditam, cum candela quæ in Missæ sollempnijs arserat, mensurauit, & inuenit, de illa non tatum fuisse consumptum, quantum in Missa breuitatis consuetæ naturaliter potuisset consumi. Gaudis tulit

\* Fortè  
agitarètur.

Nota rem  
miram de  
candela.

ORDINIS PRAEMONST. 113  
tulit vtramque candelam, & ostendēs  
eas Sororibus, retulit quid egisset: &  
ne de cetero contra famulum Domini  
murmurarent, monuit diligenter. Ec-  
ce, verè puer Domini electus, quem  
elegit, ob cuius meritum comproban-  
dum, vim virtutis suæ oblitus est ignis;  
vt illam in tam molli materia sui fo-  
menti exercere non posset, & puer Do-  
mini à calumniantibus liberaretur il-  
læsus. An non videtur tibi cereus iste  
rubo ardenti & non combusto meri- Exod. 3.  
tò comparari? nisi fortè mirabilius sit,  
ignem materiale in subiectam ma-  
teriam multò minùs, quàm naturali-  
ter debuerat, potuisse.

### CAPVT XXXVI.

*Eximius IOSEPHI erga diuina Sacra-  
menta cultus & reuerentia.*

**P**UTO, hoc quoque auditorū ædi-  
ficationi aliquid profuturum, si,  
quantam habuerit reuerentiam Sacra-  
H men-